

oo ge



29
DE CHRISTIANISMO PER DIVERSAS
UNIVERSI ORBIS PROVINCIAS SPARSO
DISSERTATIONUNCULA GEOGRAPHICO-
HISTORICA
ORATIONIBUS ALIQVOT

DE
DIVERSIS RE-
LIGIONIBUS,

d. 19. Apr. ann. 1675

IN
SCHOLA CIZENSI HABENDIS
PRÆMISSA

à
M. JOHANNÉ CRAUSIO, RECT.

CIZÆ,

Typis Johannis Ruperti Reils.



Quatuor esse præcipuas religiones, Christianam nempe, paganam, Muhammedanam, & Judaicam, hinc inde per totum mundum diffusas, eruditorum nemini ignotum esse potest. In præsentis paucis inquiremus, in quibus orbis partibus sedem habeat Christianismus; cui inter religiones omnes primus meritò assignatur locus, cum propter dignitatem, solus enim veræ religionis titulo jure gloriatur; tum propter antiquitatem, si quidem in Adamo jam tum cœpit, cujus fides quoad substantiam à nostra non fuit diversa. Occupat autem Christianismus *Europam* universam, si exceperis extremos septentrionis ultra Daniam & Sveciam angulos, gentilismo adhuc addictos, itemque Orientales versus meridiem provincias, sive Tartariam & Turciam Europæam, Islamismo deditas. Refert tamen Phil. Nicolai lib. I. historiæ regni Christi, cap. I. p. 6. ex Peucero, Lappos (quos *sive incuriâ, sive injuriâ Prelatorum & Magnatum Christum non agnoscere*, superiore sæculo conquestus est Damianus à Goes in deploratione Lappianæ gentis & descriptione Lappiæ p. 522. seqq.) paulatim ab idololatria, auspiciis Regis Svecorum, converti, & magiæ valedicere. Turcas etiam Europæos in suis regionibus multum à Christianis numero superari Edoardus Brerewodus Anglus in Scrutinio religionum cap. I. p. 79. testatur. In *Africa* Christiani regnum Abyssinum, & pauca loca ad fretum Herculis, itemque insulas quasdam occidentales: In *Asia* verò Russici imperii majorem partem; ut & Circassiam, Mengreliam, Georgiam & montem Libanum tenent; Alibi quancquam paganis & Muhammedanis immixti sint, numero tamen longè ab iis vincuntur.
Ame-

America deniq; citeriorem five Orientaliorem partem Christiani pariter sibi vindicant, Europæ nostræ prope æqualem; quæ ipsa tamen septima tantum totius Indiæ occidentalis pars habetur. Sicut verò egregia Christianismus proavorum nostrorum memoriâ cepit incrementa, plurimis in utraqve India, itemq; Africa ad fidem conversis: Ita plurimum quoq; cum olim, tum hodie detrimenti ipsi dedit & Muhammedismus & Gentilismus. Pleraque enim omnia, quæ Muhammedani in toto orbe veteri, possident, Christianis adempta sunt. Non pauci aliorum desertâ verâ fide ad paganismum redierunt aut redire coacti sunt, ut in Nubia, Japonia aliisque. Ceterum optandum erat, omnes eos, qui Christo etiamnum nomen dant, eundem quoque rectè ex Scriptura S. agnoscere, & decenter colere: Sed enim id optamus potius, quam speramus. Ut enim nihil dicam de variis Christianorum in doctrina dividiis; certè multi ultra nomen Christianum parum Christiani habent. Aseverat enim in historia Indiæ occidentalis, superiore seculo medio scriptâ, Bartholomæus de las Casas, Hispanus, ordinis Prædicatorum, de *Americanis*, Hispanorum potestati subjectis, apud quos diu vixerat, eos suo tempore æquè verum Deum ignorasse, ac superiori memoriâ, idq; eò, quod Hispani, aurum tantum & argentum sitientes, religionem planè insuper haberent, imò ecclesiasticis interdicerent, ne Christum prædicarent, eò enim præconio redituum suorum proventum impediri. Vide eum passim, in primis p. 91. & 103. Excipit tamen ibidem ab hac barbarie novam Hispaniam, quæ à monachis rectius informata sit. Verum & de hujus provinciæ aliarumq; incolis disertè testatur ex Oviedo & Benzone Brerewodus l. c. illis nihil præter solum nomen.

men Christianorum relictum. Gemina his refert ex Acoſta J. H. Urſinus vom Unterscheid der Religionen p. 168, 169. De *Moscovitis* etiam refert J. C. Dannhauerus in Exercitatione historico-Theologica de religione Moscovitarum an. 1667. edita cap. 3. eos in capitibus religionis adeò rudes esse, ut pauci Decalogum, orationem Dominicam & symbolum Apostolicum addiscant. Quid? quod Alexander Rosæus in Religionibus universi orbis p. 654. Moscoviticam religionem partim Christianam, partim gentilem esse statuit. Nolunt tamen eruditi Christianorum nomen Moscis abjudicare, ut ex Dannhauer. l. c. patet. Quomodo verò Atheismus passim inter Christianos Europæos invalescat; De eo videatur Theoph. Spizelius in Scrutinio Atheismi historico-ætiologico. Faxit Deus, ut quotquot falsas religiones profitentur, discussa errorum caligine verum Numen nobiscum agnoscant, & rite venerentur. De diversis istis religionibus oratiunculas conscripserunt secundum præcepta progymnasticâ nonnulli discipulorum nostrorum d. 19. Apr. recitandas. Breviter igitur describent & confutabunt orationibus Latinis


- I. Paganismum Zach. Hase / Tautenb. Osterlandus.
- II. Judaismum Christianus Friedel / Scaudiz. Misn.
- III. Muhamedismum Joh. Psau / Wuiz. Misn.
- IV. Verò Christianismum confirmabit carmine heroico Latino Joh. Frid. Teuber / Cizensis.

Simul etiam scholę nostrę, cujus per complures annos haut degeneres fuerunt alumni, valedicent diversis diversarum lingvarum carminibus Psau & Teuber / propediem, in Academiam abituri, & propempticis quibusdam dimittendi.

Has orationes ut Musarum nostrarum Patroni & Fautores auscultare dignentur, submissè & officiosè rogo. Cize d. 18. Apr. ann. 1675.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several paragraphs, with some lines appearing to be headings or section markers. The ink is very light and the paper is aged and yellowed.





AB: 155735 (1)


ULB Halle 3
003 023 915



80

V. 12







29

ER DIVERSAS
CIAS SPARSO
GRAPHICO-

LIQVOT

S R E
U S ,

575

ABENDIS

SIO, RECT.

ti Reils.